Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1638. 2.

Fatowicz Nicolai: Icon virtutis et laboris.

~~Poezya 2768.~~

ICON
VIRTVTIS & LABORIS.

Venerabilibus ac Excellent. Dominis D.

V. D. VALERIANO ALMPEK.

V. D. NICOLAO SLOWIKOWSKI.

V. D. IOANNI NOSZOWSKI.

DVM

In Alma Academia Cracouien. Artium Magistri & Philosoph: Doctores ritu solenni renunciarentur.

A

NICOLAO FATOWICZ Secundæ Laureæ Licentiato, in argumentum affectus & votorũ

OFFERTVR & DEDICATVR.

SAPIENTIÆ.

AGe Docti moderatrix Dea mundi.
Cata metron variatis dare neruis:
Duplicatis, triplicatis, geminatis, iteratis.
Aganippe excitat vndas tibi castas.
Cata plectro cata cantu saliari.
Generosos canat ausus famulantum Tibi Dia
Neq; rumor populari vagus aurá
Neque comptæ properata vice Laudes
Remorentur salientum chorus huc confluat om-
Age felix pede fausto quate Tectum (nis.
Iagelonis tibi lucet vice clara,
Speciosus nitor aulæ socialis; tenebrescet
Vice nulla super omni vice vincens
Nube pulsa peramænos quate Soles.
Age sacrum speciosæ iubar aulæ, comitantum
Cane curas operosas; vigilumq;
Studiorum stata tandem come serta.
Tibi Phæbus, tibi Pallas ope præsto sociatâ

Vera

Vera Humana Claritudo.

ABsiste vulgus, prępetibus modis
Iactare fluxas sortis adoreas.
Occasus illis, vna & ortus
Occiduo famulatur ictu.
Non possidentem multa vocaueris.
Plenè beatum, fultus inambulet,
Exuberantum copiarum,
Diuite despiciens aceruo.
Nec qui superbos sumere spiritus
Suetus, caterùis quod generosior,
Descendat in campum petitor.
Moribus hic meliorq́, fama.
Exaggeratis historijs licet
Ceras auorum proferat insolens.
Longè vetustâ stirpe tractâ
Per titulos memoresq́; Fastos.
Fumosa surgant Acroceraunia
Iactis in altum mollibus, aggrauet
Pondus molestum, tollet ætas
Tollet onus grauiore casu.

Mentita vultus marmora connotent.
Verboſa figat littera adoreas.
Non æra fumoſæq́; Patrum
Effigies, vitiata mutant.
Addas paternæ conſilium Togæ.
Iacta repenſas ſanguine laureas.
Hæc te beabunt, hæc futuris
Temporibus ſtabiles ſacrabunt.
Deſideratis dignus honoribus.
Qui per negatas tentat iter vias
Per ſaxa, Brontes, per procellas,
Vt patriam locet in Sereno.
Qui fulgurantes enſibus & minis,
Iani furores clauſit & ordinem
Dimenſus eſt rebus, ſagaci
Conſilio vigil ad futura.
Hic ille Diuum munere habebitur.
Eduxit altum quem Sapientia.
Cui laurus æternos honores
Non viduanda dabit vigore.

Hęc illa

Hæc illa pulchræ laurea gloriæ
Sæui trophæum funeris effugit;
Sternit profundum fucum honórum
Excidium, seniumq́; mundi.
Vt quercus altis fixa radicibus
Regi Deorum sacra, perennius
Stat, frondium venti comantum
Arida decutiunt tumultu.
Opes potentum, stemmata, purpuræ,
Præterfluentis quam breue somnij
Lucrum, fugaces venti adusta,
Curriculo rapiunt rotatum.
O quæ coruscantum atria luminum
Latè pererras & vaga syderum
Cristalla solerter reuisis
Et latebras volucris rotatus
Causæ quaternæ iurgia diuidens
Motusq́; prodis fulminis ignei
Venasq́; fibrarum calentes.
Missilibus radiorum acutis.

Adinuenisti tu faciem omnibus
Rebus, penes te Regula normaq́;
Artes & ordo, forma vitæ.
Et niueum sine cæde Iustum
Pimplea regis tu moderamine
Fausto, his amicam te penetralibus
Timbræus adiunxit verendo
Aonium associans Senatui.
O Dia nostræ Præses adoreæ
Huc faustitatum septa cohortibus
Molire passus, huc amænis
Ethesijs, Zephirisq́; vecta,
Descende præpes, nil sine te mei
Possunt labores, hos fidibus nouis
Hos Lesbio sacrare plectro
Teq́; tuasq́; decet Sorores.

VENE-

VENERABILI & EXCELLENTI D. VALERIANO ALMPEK.

Non profert malus sterilem sine pignore quercum.

SIcut Marmarici soboles animosa Leonis,
Firmior hunc si animauerit ætas.
Magna patris relegit vestigia, bella retundens,
Tygridis, alipedumq; Draconum.
Qualis vbi Phrygia Iouis armiger altus in Ida.
Non animos emasculat otiî
Mollitie, semperq́; nouis experitur alas
Nisibus, & latebras sinuosi,
Fulminis, obtutu præpes vestigat acuto
Stellarumq́; cunas videt altas.
Fortia producunt paribus contermina metis
Fortia, terra vices neque mutat.
Das granum terræ, granum cum fænore mittit:
Piscibus, & non horruit vnquam
Fabra sagax rerum facies natura, creatis
Non variat normasq́; vicesq́;

Appulus

Appulus infimum leporem lupus, armigera les,
Non generant molliemq́; columbam.
Præpes equus neq; tardigradum producit asellū
Prolectant sua semina quemq;.
Virtus si semper tantùm eluctatur inhærens.
Hem virtutis imago paternæ.
Virtus magna Patris potuit quæ maxima virtus
Iudicij ingenij vbere venâ.
Virtus inassuetis circumuaga, pręрete pennâ
Attingens excelsa volatu:
Iudicij scripto testatur grandia facta
LIPSIVS vt magni monumentum.
Hanc neq; iudicij, neq; degener ingenij æquis
Nisibus insequitur cito adurgens.
Quid repetam curas cathenatosque labores
Consolido sublata volatu
Cum Diomedæam tua mens pręteruolat artem.
Socraticos nodosque sinusq́;
Cum studio vigili Sophiæ prænobilis artes
Perspicis obscurata resoluens.
Per Labyrintheos, per Gordia desmata nexus
Nutrit quæ Dialectica pugnax.

Mente

Mente petis ſuperos, & quæ natura negabat,
Pectoris hæc oculis catus hauris.
Multùm arcana petens, arcanâ mente reuiſis.
Stella vagos quæcumque recurſus
Exerit inſignemq́; polum, qui lumine in omnes
Conſpicuum deriuat honorem.
Vnde oriens morienſq́; dies aut cornibus vnde
In plenum Titonia girat.
Aut quid Hyperboreæ glacialis portitor Vrſæ
Heſperias cur præpes ad vndas.
Caſurum ſidus rurſum conſurgat ad ortum,
Sollicitus quæſita rependis.
Nec Ciceronis opes auges ſine diuite venâ
Duce bono, facili auſpice promptus.
Illa animo, illa tuis ceſſerunt munera curis;
Quæ famæ ventura ſub axem.
Non ſinet illuſtris radijs tenebreſcere tantis
Virtus, & immemori eximet æuo.
Fatiloquam laurum dat floreſcente virore.
Non laudis cariem dabit ætas.
Eſt arbor Phæbi viridis, frondoſaq́; ſemper
Neſcia caluitij ſenijq́ue,

Floreat vt florens longæuo odora racemo,
Et patriæ, votiſque fauentum.
O patria, ô Diuum genitrix benè fæta virorum.
O noſtræ nil indiga laudis.
Et iam, iamq; polum digitis iam vertice tangens,
Tantùm alias inter caput effers.
Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
Gaude bono, nam gemmeus ille
Creſcit apex, certūq; Decus ſimul aurea creſcit
Fama, Decus decori ſociando.
O tibi ſi ſocios iunges vt iungis honores,
Rara erit vt ſociet ſociandis.

VENERABILI & EXCELLENTI D. NICOLAO SLOWIKOWSKI.

Feſtos dies Aganippe conſenſu pari
Celebremus, hic eſt vota qui finit mea
Honor coronarum genialibus toris
Reclinis, adſis huc, gradu propero, vocant
Te præmia ſtata, peruigil vocat Labor
Formoſa merces metaq; votorum, breuis
Vitæ, laboris lucra diuidens probè

Suauia,

Suauia, ad ea auritam applicat vigilantiam.
Dulcedinem prudens qui ſpreuit illitam,
Curiſque, pænitentiæ pleniſſimam.
Vlyſſeum conſtantiæ robur fuit,
Tibi SLOVICOVI, qui inerti~ vagam
Et blandulam aſſentationem reſpuis.
Ceras Vlyſſes quæſijt multiſcius
Vitauit imbelles ſequacium dolos
Maſculus, operibus riſit imbelles ſonos,
Nec ſolus ad ceras Vlyſſes iam petet
Opponet auſubus moras durus labor
Hic illecebras corrigit; fugacibus
Pennis volant ab eo labor quem induruit
Spectata dexteritas labore tua ſuper
Negotiorum mole, vt otij quies
Non ſine negotio à labore ſolueret.
Diuiſa cui probé quies reliquis ſibi
Magnum leuamen poſuit, & negotij
Plus ille habet, malè qui vtitur negotio,
Quam ſi negotium ſit in negotio
Intentus operi, recti vt imum habeat iter.
Ne mole rerum ætas caloribus citis

Incauta rueret Dædalea operâ, graui
Casu atque deperditione amabilis
Ætatis, apparat viæ subsidium.
Allisa vix vnquam nauis remige bono
Scopulis, habens docili latus frequens manu.
Non nuda remis, integris & linteis,
Quisquis voluntatem arbitrã imponit iugo
Tempestuosi vitat anfractus maris,
Vincet furores Africi, Noti minas.
Mollis voluptatis & inertiæ luem
Portumque veræ gloriæ attinget statum:
Consilo inhærens legibus, normà, modo
Adiutus es, curà fideli operosius.
(Opera sed Arcadicæ iuuentæ impensior.
Pallas satum quem riserit lumine fauens.
Natura quem iuuit sagax. celer omnibus)
Iam maior annis animus, ausibus quoq;
Maiora grandior, ingeniû molimine
Versabat alto pectoris, varias sibi
Ponit figuras, ponit artes prouidus:
Cui gentis hærent marmora perennantia.
Insculpta factorumque vultus sospitant.

Mores

Mores simulq; auita doctrina patuit.
Ad gloriam grassatus est pari viâ
Et ne alta maiorum decora recenseam
Proferte ab vrnis fata sortes gloriæ
Fama propiora duplci in æuum collocat
Lampade, Patris rutiliscoruscat ignibus
Vt Arbitrum Consus dolet Iusti, dolet
Desideratum luminis solidi decus
Prudentiæ diiudicans Iustum sagax
Eloquij vt intēmpesta temperans catus
Consilij in ambiguis medellâ tutior
Inaurat æuum patriæ quæ præstitit
Verbosa honestamenta dabit ætas anus
Hæc te vocassent Sors adusque vrget Decus
Patrum verendorum ascitus Senatui
Iam feriantum siderum ducit globos,
Ornamen augustum datum est Ecclesiæ.
Suadella dulcis melleo fauo tonans
Plebem aureo Hercules sonantum colligat
Nexu cathenarum, aureque attonitam trahit
Agmineq; dulci defluus, rerum sonis
Suauia recusis in pretia populum tenet.

Opes caducas ore flumineo iacit
Hic stimulus additus SLOVICOVI tuô
Animosiori impulsui, atque his motibus
Suadam loquentis instruis Prudentiæ
Contentiosum comparans partum, graui
Molestiarum mole mercanda est prius.
Fætu illius quám dulcis adolescat seges.
Tu tot laboribus probè mercatus es.
Suadella blanda melleo decentia
Liquore labra, suauis Eloquij imbuit
Quo te labor trahebat & vis Enthea.
Quid vana stridulis tonas applausibus,
Nectar Grachorum melleum deprædicans.
Antiquitas supra modum suis superbiens
Quorum coaluisse in sinu matris, sonos
Iactat, leporibus venustâ gratiâ.
Absiste terna vide fluentia flumina
Liquore, in Ecclesia Foroque Academia,
Spectata sunt stupore comprobataque.
Dicet Forum narrabit Ecclesia suos.
Gratatur omnium fauentum Academia
Votis, studia laboriosa cogitans

Virtutum

Virtutum imaginem parem maioribus
Maiora populus ſemper à magno exigit
Nec flamma tantum prodit ignem lumine.
Phæbum, diem nec agens coruſcus Lucifer;
Quantum priorum vim ingenîi atque conſilîi.
Veræq́; virtutis propago, hæc exprimit.
Erecta tot factis Tuis Acedemia
Ornamen & virtutis & ſcientiæ
Ponit ſuper caput coronam, non dies
Infeſta, non viciſſitudo quam auferent
Edaxq́; liuor dente degeneri petens.
Nec ſi velint ſæuire quo noceant habent
Fortuna vires ipſa conſumpſit ſuas.
Quâm bene labor, quam vota ceciderunt tua
Hic fama clarior nitoribus iubet
Vt mole moles luce lux giret pari.

VENERABILI & EXCELLENTI D. IOANNI NOSZOWSKI.

VEſtra eſt iſta dies, fauete Muſæ,
Et tu Phæbe Pater ſagaxq́ue Pallas:

Letæ

Lętæ purpureas nouate vittas,
Comptis puniceum ligate sertum
Eoæ citius venite laurus,
Adsint dum refero diem beatum,
Omnes quos honor est penes canendi
Vim laudabo tuam sagaciorem,
Industresque canam potentioris.
Sortes eloquij, liquore fluxas
Et vinctæ pede vocis & solutæ,
Curarum irrequieta quas requirit
Nisu sedulitas seueriore.
Argiuus tot opum vehens onusta
Furtiuo iuuenis superbus ostro
Fuso Doride Colchicis opimus
Prædis velleris aurei, decoram
Mercedem in patriam tulit laboris,
Non grauedine ponderis caduci
Vises limina NOSSOVI paterna.
Phænissis auibus fugaciorem
Prædam præcipiti rota ruentem
Lucri mellis opum illitum venenis
Quæ tot mortibus atque tot periclis.

Et for-

Et formidine ventilata sortis.
Et cæca dubiâ occupatione.
Non pondus celeris vagæque sortis:
Sed pondus pretiosiore cultu,
NOSSOVI in patrium sinum refundes,
Expectata dabunt opes Honoræ,
Et vi consilij sagacioris.
Rerum diuitijs & expeditus,
Vsuque ingenioque amæniore
Soluens nec facilè extricata nodis,
Soluens nec facile expedita nexu.
Vel quæ Pythagoras recondit alto,
Vel quæ Sophica turba tortuosis,
Nectit nexubus, implicatq; nodis.
Nec te sufficeret legisse tanta.
Ni te sufficiat probasse tantùm
Prono limite commeata virtus.
Vtrinque in niueos refecta mores
Talem Oratio scripta vita formant.
Quem recti facies, bonique norma
Optarant, benè candida probasti

Morum ſimplicitate, comitate,
Sereno ingenijq́ue cordis oris
Hæc mox in Patrium ſinum repones.
Expectata dabunt opes Honorę,
Dotes ingenij æſtimata pluris
Quam malum aureolo micans decore,
Quam vellus rutilo nitens coruſco,
Quam Gangis ſalientis aurea vnda.
Felix heu nimium & beata tellus,
Tot iam pignoribus potens ferentum.
Tot iam ponderibus Tuorum onuſta.

A. M. D. G. B. V. M. H.

CRACOVIÆ,

In Officina Matthiæ Andreouienſis, Anno Domini 1638.